

IN SACROS CONCENTVS, ALIQUOT  
PSALMORVM DAVIDICORVM, à SERENISS: DN.  
Electoris Saxonie, &c. Capellæ aulicæ Magistro, & Chori  
Musici Directore HENRICO SCHVYZIO, editos.

EPIGRAMMA.



Apipedis fugeret cum Syrinx Panos amores,  
Versa in arundineos est ea tunc calamos.  
Iste tamen calamis daret oscula, & insuper illos  
Comprimeret manibus, comprimeret pedibus.  
Sub calamis Dæa suspirans, spirantibus auris,  
Ex calamis querulam protulit Harmoniam.  
Pan igitur vocis dulcedine captus amicæ,  
Cerâ unâ ut junxit dispariles calamos.  
Ars nova repperta est, nomen tenuitq; puellæ:  
Pneumatis Organici nunc sibi nomen habet,  
Verum ut ab immundis immunis amoribus esset,  
Templorum est castis tota dicata tholis.  
Cannea quæq; prius fuerat, post standea facta,  
Ex Auro, Argento est deniq; facta Dæa,  
Multiplicesq; sonos, animata tumentibus, edit,  
Follibus, ut digitis tacta sit, aut pedibus.  
Nunc clangore tubas simulans, crotalosq; loquaces,  
Nunc tremulos lituos, tympana, sistra, lyras,  
Posticò, anticò! Citharas, & cymbula! gestit  
Mille per & plures se variare modos,  
Diversis, diversa, locis, hæc culta magistris  
Diversis fuit, atque artificum ingenij.  
Quis novus hic autem juvénilia tempora Myrtho  
Cinctus, cui patriam Leucopetræa dedit?  
SCHVYZIVS est, Italo quem tintum Phœbus accetò  
Abluit, & dignum fecit amore Dæa.  
ENSIGER & Syringa suam cui credidit, & cui  
Diva sacros aditus credidit ipsa suos.  
Accubitu cuius digitali & mota pedali;  
Gaudet, ovat, plaudit, flent, dolet, atque gemit.  
Davidicæ & psallens Citharæ Meletemata, novit  
Arte mouere homines, arte mouere DEVUM.  
Chromaticumq; melos, nunc vocem vertit in assam,  
Dorica sive ea sit, Lydia, seu Phrygia.  
SCHVYZI Melpomenes fili, quoq; cætera Regis  
Psalmographi digitis cantica prome tuis.  
Facq; DEI laudes homines celebrare canoris  
Vocibus, Organicos te moderante tubos.  
Sic Orlandinæ tua laus erit æmula laudis,  
Inq; DEI sacris semper honora choris.

In gratiam amici sui ita lusit

S. E. S. S.

Iohannes Scuissius.